

Konrad Grebel<sup>1)</sup> an Vadian.*Paris. 1520. April 13.*

Klagen über das lange Stillschweigen Vadians. Ankündigung des Besuches Glareans  
in St. Gallen.

Salve, mi sorori. Si vales, bene; si tui valent, gaudeo. Ego nec admodum, et tunc maxime, cum scribendum esset, valui. Scripsi tamen, non quod sic nequeas meis literis carere; scripsi, ut crebra nostra compellatione huc pertraharis, ne sic nihil rescribendo me negligas. Negligis autem, quod in tanto otio<sup>a)</sup>, tanta facilitate tantus vir, tot nunciis se offerentibus, ad tam tui amore ferventem, tam miserum non literas, sed ne literam quidem mittis. Offenderis moribus meis; cognoscendus eram, non mittendus. Occuparis amicorum familiaritate totos dies; hora mihi tri-

buenda erat, qui tibi tempus et hunc totum hominem trado. Impediunt alia, ne me possis alloqui, et habes silentii urgentem iustamque causam. Iam tua culpa non erit, sed factorum meorum, quæ me per tales etiam inquietum et misellum reddant. Iamdudum tibi stomachum acrem excitavi, quod tam libere in te invehar, tanquam par in parem. Crede hoc ab amante te fieri; nisi enim te amarem, nec te nec tuas chartas magnopere curare(m). Sed ut brevibus finiam et summam exponam: vellem mihi ignosci importuno aut nihil a te committi, ut expostulatione<sup>b)</sup> opus esset, si expostulo. — Iam de Glareano. Dixit tuam urbem propter te aditurum; rogavi prioribus, rogo et hisce, ut hominem excipias primum benigne nec speres hominem, qui sui dissimilis esse nequeat, hoc est, qui non noverit animum, qualis est, dissimulare, diu tecum sensurum et contentionem protracturum. Si nolis, ad arbitrium fac; sapis enim altius, quam ut amentis consilio tibi agendum sit. Tuus ut esse possim diu, si sines, opto; tuos salvos esse iubeo. Vale felicissime<sup>c)</sup>. Lutetiæ, 13 die Aprilis, anno 1520.

*Conradus Grebelius*, tuus discipulus sororiusque,  
hoc est tuum mancipium.

Domino doctori Ioachimo Vadiano, præceptori et sororio  
longe colendissimo.

a) „ocio“. — b) „expostulationi“. — c) „felicissime“.

1) Vrgl. I, Register.